QUOD DEUS BENE VERTAT!

COLLEGII FEUDALIS PUBLICI

DISPUTATIO NONA ET ULTIMA.

DE

JUDICIO FEUDALI ET ACTIONIBUS FEUDI NOMINE COMPETENTIBUS.

Quam,

Permissu Magnifici & Nobilissimi ICtorum in Perillustri Salanâ Ordinis

SUB PRÆSIDIO

Viri Amplissimi, Consultissimi atq; Excellentissimi

Dn. ERASMI UNGEPAUR,

ICti longè Celebratissimi, Professoris hujus Academiæ Publici, Consiliarij Saxonici Gravissimi, Curiæ Provincialis & Scabinatus Assessoris Dignissimi, Promotoris & Præceptoris sui omni, quo par est observantiæ cultu ætatem suspiciendi


IN AUDITORIO ICTORUM

Horis matutinis solitis

Ad diem Julji.

defendet

ERNESTUS LUDOVICUS Avemann / ISENACENSIS.



JENÆ,

Typis PHILIPPI LIPPOLDI,

ANNO M. DC. XXXVI.

D. O. M. A.

THESIS I.

EXactis, superioribus disputationibus, ijs, quæ cùm ad feudorum constitutionem, tum etiam ad eorundem destructionem meliùs cognoscendam tractatu inprimis digna videbantur, jam ordinis ratio appetit, ut tandem Dei T. O. M. auxilio adjuti, ad hujus calcem collegij properantes, quæ de judicio feudali restant (restant autem non prætereunda) eâ, quâ potest, brevitate pertexamus. Idq; vel ideò, quod non minùs, negotia hæc feudalia atq; quævis alia controversijs, ijsq; gravissimis sint refertissima. *Gædd. disp. feud. 10. in pr.*

II.

Quemadmodum autem in quovis alio judicio duo consideranda veniunt, materiale scilicet & formale, *Rosbach. in proceß. civil. tit. 21. n. 1.* Ita hæc eadem in hoc nostro, quin occurrant, non est dubitandum. De formali, quod ipsum processum continet, infra: Hîc de materiali, ut pote quod personas & actiones continet, agere constituimus.

III.

Cœterum personæ, eæq; principaliores judicium feudale, ut alia omnia, constituentes, sunt judex, Actor & Reus. *l. inter 62. ff. de judic. c. forus. 10. vers. in omni. X. de V. S. Wesenb. in π. ff. de judic. n 9.* Sunt quidem & aliæ personæ his adminiculantes, ut Patroni causarum, Procuratores, Assessores, Tabelliones &c. Verùm cùm in hisce omnibus jus feudale cum jure civili maximam partem conveniat, de his aliquid addere supersedebimus.

IV.

De judice igitur primus dispiciendi locus erit: Tum quòd aliàs personarum prima sit in spectio. *arg. §. ult. I. de J. N. G. & C.* Tum vel maximè, quòd judex sit potissima pars, Dux, Imperator, basis atque fundamentum judicij. *Schrad. in tr. feud. in praeamb. part. 10. n. 2. & fin.*

V.

Hæc verò de judice feudali tractatio fusior est, quàm ut unicâ, eademque rotundâ expediri definitione possit. Prout enim inter convasallos, vel inter dominum & vasallum, vel inter dominum & extraneum, vel tandem inter vasallos & extraneum controversia variat *Vultej. 2. F. 2. n. 5.* Sic varius & quidem vel dominus feudi, vel pares curiæ, vel ordinarius, vel denique arbiter ejusdem competens constituitur judex. Quæ res, cùm, ut modò diximus, unicâ non possit, aliquot regulis eam in seqq. expeditum dabimus, secuti hac in parte non ignorati nominis Dd. ut *Curt. jun. de feud. part. 7. Sonsbec. de feud. part. 14. & alios*, qui quò hanc rem satis confusè & sparsim tam à Dd. quàm etiam in ipso J. F. traditam ordinatiùs delinearent, certas constituerunt regulas. *Curt. jun. d. loc.*

VI.

I. Est: Si controversia sit inter vasallos de feudo, dominus regulariter de causa, ut judex cognoscet. *Textus eximiè illustris est in c. imperialem. §. fin. 2. F. 55.* Quam regulam quoque cùm veteres, *ut Alvarot. Andr. de Isernia, Jacob. de Belvis. in d. c. imperialem*, tum recentiores, *ut Sonsbec. part. 14. n. 18. Borcholt. de feud. c. 10. n. 17.* & alij communi calculo confirmant. Eamq; nobis suppeditat Imp. Frider. d. loc. his versis: *Si inter duos vasallos de feudo sit controversia, domini sit cognitio & per eum controversia terminetur.*

VII.

Qua in regula tamen, cum F. F. distinctè procedimus, distinguendo videl. an contentio sit de feudo regali, an verò de non regali. Priore casu, quando de regali feudo, puta Ducatu, Marchionatu, vel comitatu, vulgò Fahn Lehen/ inter

ter

ter capitaneos regni est contentio, solus Imperator controversiam definit, hoc est de causa illa cognoscit *per c. unic. 1. F. 18. c. 1. in pr. 2. F. 34. Schrad. de feud. part. 10. sect. 1. n. 40. & sect. 2. n. 66. cum seqq. Curt jun d. part. 7 ubi omnes feudistas ita determinare fatetur n. 2. Magnific. & Nobiliss. D. D. Arumaus Praeceptor & Promotor meus omni observantiae cultu aetatem prosequendus disp. feud. 9. §. 13. & novissimè Wurmser. exercitat. jur. Publ. 7. quaest. 19.*

VIII.

Quod usq; adeò verum est, ut, quamvis secundum Dd. Camera Imperialis alioquin per modum contractus ex ordinat. cam. concurrentem habeat jurisdictionem, ipsumq; Imperatorem repraesentet; tamen de talibus feudis cognoscere haud quaquam possit: illud enim Imperatori specialiter reservatum reperitur. Cammer G. O. *p. 2. c. 7.* Secus verò est in reliquis feudis Imperij; in his enim Camerae jurisdictio fundari per praeventionem potest, ita, ut si partes prius Cameram quàm Caesarem adeant & citationem petant, causa ibidem ventilanda sit. *c. cum plures 8. X. de offic. & potest. judic. deleg. in 6. Gail. lib. 1. observ. 29.*

IX.

Posteriore casu, si contentio sit de feudo non regali inter alios vasallos non capitaneos regni, tunc dominus feudi simpliciter eorum judex erit. *per d. c. unic. §. fin. 2 F. 55. c. ex transmissa 5. X. de for. compet. Sonsbec. d. p. 14. n. 20.* Qua de re lubet addere Guntheri Musam Parnassijs alumnis fortassis non ingratam, ita autem ille *lib. 8.*

Inter vasallos unius fortè patroni
Quaestio de feudo quoties agitatur eodem,
Quo feudi domino gaudent, hoc judice certent.

X.

Atque hoc posteriore casu nihil discriminis statuendum putamus in domino, laicus ne sit, an clericus. *per d. c. 8. & seq. X. de for compet.* Et hanc receptam esse Dd. sententiam, testatur Feudistarum auriga & Evangelista (ut enim appellare amat *Nicol. disp. feud. 9. thes 1.*) *Andr. de Isernia in cap.*

 1. §.

c. §. *item si clericus de capit. Corrad. Duar. de feud. c. 10. n. 6.* Ut etiam 2. non distinguendum censemus in fœmina seniore. Quemadmodum enim illam feudum dare posse constat. *c. unic. §. 1. vers. fœminam. 2. F. 3.* ita, quin eadem jurisdictionem in controversijs feudalibus inter vasallos suos habeat, nulli dubitamus, moti. *arg. d. c. imperialem §. fin. 2. F. 55. Alvarot. & Matth. de Afflict. in d. c. unic. §. fœminam. 2. F. 3.* Nec 3. distinguimus in ignobili. Is enim æquè atque nobilis judicandi munus obire censendus *arg. d. c. imperialem 2. F. 55.*

XI.

Porrò 4. non distinguimus inter feuda propria & impropria, *propter d. §. fin. 2. F. 55.* usque adeò ut in feudo etiam franco dominus inter vasallos judex censeatur: Idque partim ob allegat. textus generalitatem, partim etiam ob vulgatam regulam quæ ita habet: quando feudum in uno aliquo capite alteratur, in capite alterato propriam feudi naturam amittit; in alijs verò capitibus non alteratis, propriam feudi naturam servat, & regulatur secundum omnes leges & consuetudines feudi. *Magnific. Dn. Arumaei disp. feud. 6. th. 8.* Nec tandem 5. circa qualitatem controversiæ feudalis, distinguendum inter controversiam proprietatis & possessionis erit. In utraq; enim regula, supra de domino judice relata, robur suum obtinet. Quoniam idem judex esse debet causæ proprietatis & possessionis. *l. nulli. 10. C. de judic. c. 1. X. de causs. possess. & propriet. item arg. d. §. fin. 2. F. 55. Schrad. de feud. part. 16. sect. 1. n. 77. & seqq. Reusner. disp. feud. 11. th. 42.*

XII.

II. Est: Si verò inter dominum & vasallum de feudo orta fuerit contentio, pares curiæ judices erunt. *d. c. unic. §. fin. 2. F. 55. c. unic. 2. F. 16. c. unic. 2. F. 20. & c. unic. §. si inter. 2. F. 39.* Et hanc regulam comprobant tùm textus modò allegati, tùm etiam communis Dd. schola. Ratio autem ejusdem, cur videlicet hoc in casu non dominus, sed pares judicent, est in manifesto, quandoquidem nemo in re propria judex esse censetur *l. 17. ff. de judic. l. unic. C. ne quis in sua causa.*

Omnes

XIII.

Omnes autem pares curiæ ejusdem sunt judices; adeò ut nihil referre putemus, sitne dominus clericus, vasallus verò laicus, vel dominus laicus, vasallus clericus; quia ratione feudi laico clericus subjicitur ut maximè aliàs à foro seculari sit exemptus. *Mynsing. 4. obs. 89. n. 4. Rittershus. lib. 1. de feud. c. 9. q. 6.* Similiter non refert, pares curiæ sint homines privati, nullamq; jurisdictionem habentes, dominus verò aut vasallus Magistratus aut dignitate major sit: *arg. c. unic. 2. F. 16 c. 1. 2. F. 39.* Quod usque adeò verum est, ut etiam lite inter Imperatorem & ipsius vasallum incidente pares cognoscendi potestatem habeant. *c. unic.* §. sententiæ quoque. vers. & si qua controversia. de Pace constant. Cujus rei etiam indicium vel firmissimum potiùs argumentum est, cùm quod illud idem toties absque ulla exceptione Imperatoris & vasalli cum ipso litigantis in jure feudali repetatur & inculcetur tum etiam quod negotia hæc spectare videantur ad ipsum dominum. *per text. c. unic. 2. F. 46.* Testes insuper sunt ferè omnes quotquot suis scriptis huic juri feud. velut stipendia & tributa contulerunt. *Schrad. tract. de feud. part. 10. sect. 5. n. 3. & seqq. Borcholt. & alij.*

XIV.

Notandum tamen, quod modò de paribus, eos omnes judices esse, diximus, ita intellectum nos velle, nisi domino vel vasallo litigantibus, videatur aliud, vel nimia sit vasallorum multitudo adeò, ut impossibile accideret, vel certè difficile, quò omnes judicent, aut fortè non omnes ad judicandi provinciam idonei sint; tunc enim sufficiunt tot, quot à paribus fuerint electi. *Vult. lib. 1. de feud. c. 1. n. 28.*

XV.

In eligendis autem paribus quid servandum sit, notius est. *ex c. unic. 1. F. 16.* quàm ut super eo prodigi verbis esse debeamus. Id tamen hic non inelegantis est quæstionis, an (cum uterq; tam dominus, quam vasallus, suo tamen ordine eligere pares dicantur) consuetudine induci possit ut solus dominus pares eligat? Nobis, quicquid etiam alij sentiant,

ant, negativa non paucorum probata calculo, Imò & in camera imperiali recepta magis arridet; Eaq; non tantùm *textui d. c. unic. 2. F. 16.* convenit: Sed etiam rationi juris; cum iniqui exempli sit, eum judicem dari, quem altera pars nominatim petijt. *l. 47. ff de judic. Zas de feud. part. 11. n. 14. & seqq. Gothofr. Anton. disp. feud. 14. th. 3 Gail. 2 obs. 34.*

XVI.

Deinde notandum & hoc est, eos tantùm pares judicare, qui jurati sunt. *d. c. imperialem § fin. 2. F. 55.* Etenim qui fidelitatis juramentum non præstiterint, dissentiente domino vel vasallo, eligendi non sunt. *d. c. unic. 2. F. 16.* ubi non incongruenter quæritur, an pares judicaturi de novo jurare cogantur, quod secundum jus judicare velint? Affirmativa *Schrad parte 10. sect. 11. n. 105. & alijs placet*; nobis verò cum *Zas part. 11. n. 20. Niell. disp. feud. 10. th. 3.* & alijs probabilior negativa videtur, tum per *d. c. unic. 2. F. 16. & d. c. imperialem 2. F. 55* tum quod ipso juramento fidelitatis ad justè judicandum obstricti videantur. *arg. c. unic. § 2. vers. illud tamen 2. F. 24 junct. c. unic. 2. F. 47.*

XVII.

Cum in præcedentibus pares curiæ judices competentes dixerimus, hoc loci pretium erit, & illam non otiosam subnectere quæstionem, An pares curiæ habeant jurisdictionem ordinariam? Affirmativa ut communior, ita â vero quàm proximè abest. Concessa enim ea â lege & consuetudine est. *c. unic §. præterea 2. F. 55.* jurisdictio autem quæ â lege vel consuetudine datur, est ordinaria. *l. Et quia 6. ff de jurisd* Pluribus *Schrad d. p. 10. sect. 3. n. 79. Dissent. Amedæus a ponte in tract Quis sit judex in causis* F. F. Plures hîc possent nostræ regulæ coacervari & ampliationes & limitationes, quibus abundant *Schrad. dd. ll. & alij*; Verum quia parvo pomœrio finienda hæc nostra disputatio est, ideoque missis illis pergemus ad regulam.

XVIII.

III. Quæ ita habet: Lite inter dominum & extraneum de feudo orta, ex communi Dd. doctrina adeundus est ordinarius

nutrius seu superior loci. *c. unic. 2. F. 43. 2. F. 27. cum simil. Mynsing. 5. obs. 75. n. 1. Curt jun. d. part. 7. n. 8.* Toties enim ad hunc pertinere cognitio videtur, quoties dominus vel pares excluduntur. *Dd. communiter.*

XIX.

IV. & ultima est. Arbiter compromissarius cognoscit tum, quando in eum vasalli compromiserint. Compromittere autem vasallos posse, cum ex alijs, tum etiam *arg. c. unic. §. si vasallus 2. F. 26.* constat, *Dissent. Schrad. de feud. d. part. 10. sect. 1. n. 166.* ad quem refutandum facient ea, quæ habet *Alvarot. ad c. unic. § si inter 2. F. 34. n. 3. fol. 259.*

XX.

Hactenus quæ de judice dicenda erant, quoquo modo adumbravimus; sequitur nunc ut actiones, quæ feudi nomine competere solent, ut brevissimè poterimus, decurramus.

XXI.

Quoniam autem feudum utriusque tam domini, quàm vasalli gratiâ conceditur, satis hoc argumenti opinor, utrique quoque ejusdem nomine actiones competere, quæ vel in personam, vel in rem sunt. *Magnific. Dn. Arum. disp. feud. ult. th. 2.*

XXII.

Ut autem de vasallo competentibus actionibus primùm quæramus, inspiciendum ante omnia erit, agat ne is contra dominum de feudo duntaxat promisso, an verò tradito: Illo casu quando feudum nondum est traditum per investituram, actio illa ex natura conventionis, qua feudum promissum est, formabitur. Itaque si stipulatio intervenerit, non dubium est, quin actio ex stipulatu vasallo detur. *arg. l. inter stipulantem 83. §. si rem quam 6. ff. de V. O. Pr. Inst. eod. Borcholt. de feud. c. 9. n. 10.* Si donatio; ex donato: Si testamentum; ex testamento: Si emptio, ex empto. *l. ex empto 11. pr. ff. de act. empt. Magnific. Dn. Arum. d. disp. 9. th. 3.* Sin verò promissio illa nulla sit stipulatione stipata, tum condictionem ex moribus sive ex lege competere, communis censet FF. familia. *arg. l. unic. ff. de condict. ex lege. Vultei. de feud. lib. 2. c. 1. n. 12.*

Quod

XXIII.

Quod si verò feudum traditum sit à domino, idque casu aliquo ad extraneum pervenerit, vasallus habet potestatem, ut tanquam dominus possit à quolibet possidente id quasi vindicare. *Veluti text. est luculentus in c. unic. §. rei autem 2. F. 8.* cujus verba hæc sunt: *Rei autem per beneficium rectè investitia vasallus hanc habet potestatem, ut tanquam dominus possit à quolibet possidente sibi quasi vindicare.*

XXIV.

Hoc in textu sat dilucido pedetentim progressi, invenimus verba notatu prorsus dignissima. Quæ cum illustrandæ nostræ rei multum conferant, non possumus prætermittere, quin paucis declaremus. Primò autem appositissimè Obertus in text: *à quolibet possidente*, ut animadvertamus, vasallo hanc utilem vindicationem dari, non solùm adversus extraneum, & quemque possessorem sive detentatorem rei feudalis, Sed etiam adversus ipsum feudi dominum, si forsan possessio feudi sine vasalli facto ad ipsum pervenerit. Id quod ulterius probatur, tum *arg. l. 1. ff. si ager. vectigal.* tum etiam, quod aliàs actionis in rem natura est contra quemlibet possessorem dari. *l. officium. 9. ff. de R. V. Magnific. Dn. Arum. d. l.* Atque hæc adeò sunt vera, ut si dominus & vasallus in re feudali vindicanda â tertio concurrant, non uterque simul ad agendum admittatur, sed vasallus in re vindicanda præferatur domino. *Vultej. de feud. d. lib. 2. c. 1. n. 19.*

XXV.

Deinde rectè addit & illa verba quasi vindicare: ut nobis innotescat, quemadmodum vasallus non habet nisi utile, ut vocant, dominium, ita eundem habere nisi utilem sive quasi vindicationem non posse. Qualis enim est causa, talis etiam ut subsequatur effectus, necesse est. Per vulgat.

XXVI.

Præter hanc, quam diximus, rei vindicationem competit vasallo & alia in rem actio, quam quidam utilem rei vindicationem, *ut Vultej. d. lib. 2. c. 1. n. 18.* quidam verò, quòd eam pro servitutibus asserendis vel negandis dari intelligant,

con-

confessoriam & negatoriam esse volunt. *Rittershus. in part. feud lib.2.c.8.q.4.Treutl.vol.1.disp.17.th.14.*

XXVII.

Ad hanc in rem actiones aggregemus & illam ab hoc loco non alienam quæstionem, an feudum veniat in petitionem hereditatis? Feudum hereditarium, quod concernit, illud venire, non est cur dubitemus, maximè cum nullus ferè Dd. hac de re dubitet. An autem idem de eo, quod ex pacto & providentia vocant, sentiendum sit, maxima est inter Dd. controversia. Affirmativam tenentes, rationem in *l. Et non tantum 19. ff. de hered. petit.* conferunt. Sed quoniam probatio hæc (uti in conflictu forsitan notum erit) non videtur habere in se omnes numeros veritatis; qua propter nobis cum Dd. magis communiter sententia negativa cum veritate videtur conjunctior, eæque probandæ, pro instituta brevitate, hoc nobis suffecturum arbitror argumentum: Quicquid non est hereditarium, nec jure hereditario defertur, neque hereditate continetur; Sed ab ea planè diversum & separatum est, illud non venit in petitionem hereditatis, quod per se manifestum est. Atqui feudum ex pacto & providentia non est hereditarium, nec hereditate continetur, sed ab ea diversum & distinctum est; tum quia passim in jure feudali feudum hoc hereditati opponitur. ut 2. F. 51. §. *si contentio in verb. dicat ipsa &c.* tum etiam, quia feudo hereditario, hoc est, ei feudo, quod jure hereditariò defertur, & in quod etiam jure hereditario succeditur; & de quo petitio hereditatis competit, opponitur feudum ex pacto & providentia. Ergo &c Atque huic sententiæ subscribunt non infimi subsellij Dd. *ut Mynsing. 3. observ. 67. Gail. 2. observ. 154. Wesenb. in π. ff. de hered. petit. & alij.*

XXVIII.

Tandem jam enumeratis actionibus & actio evictionis, addi potest, quæ itidem datur vasallò contra dominum, si feudum, quod concessum est, evictum fuerit. *c. unic. in pr. 2. F. 8.* Notandum tamen quod diximus, tum demum proce-

dere si vasallus ante sententiam autorem suum, hoc est dominum vocaverit, ut se defenderet, & rem alienam fuisse ignoraverit. *c. unic. 2. F. 25.* Et consequitur hac actione vasallus aliud feudum ejusdem bonitatis sive quantitatis ac æstimationis, cujus erat prius tempore concessionis. *d. c. unic. 2. F. 25.*

XXIX.

Non solum autem petitorio, quo de hactenus, vasallo agere concessum est, verum etiam interdictis rem suam defendere potest. Id quod de interdictis adipiscendæ vel retinendæ possessionis, secundum communem Dd. conclusionem minus habet dubij. *Menoch. de retinend. poss. remed. 3. n. 81.* Sed si de recuperandæ possessionis interdicto quæritur, plusculum dubitationis ea res habere videtur, præsertim cum Dd. communiter negativæ subscribant; tale videlicet interdictum vasallo contra dominum minimè indulgendum esse, moti inter alia. *l. 1. §. interdictum hoc ff. de vi & vi armat.* Quicquid sit, nos affirmativam amplecti malumus, *cum Magnific. Dn. Arum. d. disp. 9. th. 2.* 1. Quia dominus vasallo ad paria tenetur. *c. unic. 2. F. 6.* Quapropter si vasallum vi expellat, non fidem, quam vasallo debet, ei præstat. E. frangenti fidem fides frangatur eidem. 2. Per *c. unic. vers. si v. vasallus 2. F. 22.* Plures rationes videri apud allegat. *Magnific. Dn. Arum. possunt & Vultej. d. lib. 2. c. 1. n. 23. Rosenthal. in Synops. feud. cap. 10. conclus. 42. n. 62.* Atque hoc non tantum jus Saxonicum ita constituendo. Lehnrecht *cap. 77. vers. 1.* Beraubet aber der Herr & *cap. 49. in pr.* Sed & Academia Francofurdiensis *in tom. 3. variorum consilior. consil. 21. decidendo approbavit.* Quin imò etiam cameram Imperialem ejusmodi possessoria recuperandæ vasallis concedere, testatur *Vultej. d. loc. Goedd. disp. feud. 10. th. 5.*

XXX.

Diximus *sup. th. 18.* domino non minus ac vasallo competere tam personales, quàm reales actiones. Cum autem hucusque, quæ vasallo competiêre, enumerando absolverimus,

 mus,

mus, restat, ut de domino competentibus actionibus breviter agamus.

XXXI.

Et personalem actionem quod attinet, illa domino datur vel ex speciali conventione, vel ex consuetudine curiæ speciali, vel denique communi feudali. Quando priori modo datur, tum idem observandum erit, quod supr. *in th. 19.* observari voluimus, nempe actionem ex natura conventionis metiendam. Unde si per stipulationem promissa sint servitia certa, agetur ex stipulatu ad ea præstanda *2. F. 32. in fin. 2. F. 51. §. fin. Rosenthal. Synops. feud. cap. 12. concl. 8.* Sin verò dominus rem feudalem sibi reddi, & feudum dissolvi malit, agatur condictione causa dati, causa non secuta. *c. unic. 1. F. 21. in fin. pr. & ibi Andr. de Isernia n. 3. Vultej. d. lib. 2. c. 1. n. 28.* Secundo autem & tertio casu agatur condictione ex moribus, ut à vasallo præstanda præstentur, ipseque feudum retineat. *d. c. unic. 1. F. 21.* Vel ob culpam vel feloniam amittat. *Vultej. d. l. n. 29. Gædd. disp feud. 10. th. 7.*

XXXII.

Realis autem actio sive directa rei vindicatio domino datur, quando vel negat in feudum rem datam esse. *c. unic. §. si verò 2. F. 2.* Vel vasallus requisitus servitia non præstitit, vel feudum inscio domino alienavit, vel feloniam aliquam commisit. *Alvarot. in c. unic. 2. F. 24. Borcholt. c. 9. n. 20. Magnific. Dn. Arum. d. disp. 9. th. 9.* Atque hoc posteriori casu nec in, vel contra heredes actiones ob feloniam competentes transeunt, quia sunt pœnales. *l sicuti l. toties l pupillum 111. §. in heredem 1. ff. de R. I. Magnific. Dn. Arum. d. disp. 9. th. 10. ubi tamen hoc in certo quodam casu limitat.*

XXXIII.

Interdicta quoque possessoria domino perinde atque vasallo competere autumamus. Quanquam enim sint DD. cùm ingenio acutissimi, tum studio & doctrina abundantissimi, qui domino adversus vasallum interdicta hæc compete-

te omninò exinde negent, quòd dominus feudi planè non possideat. *c. unic. §. fin. 2. F. 8.* attamen cum in hoc, quo illi nituntur, argumento sit parum præsidij positum, atq; adeò contraria sententia communiter obtinuerit. *Teste Reusn. disp. feud. 11. th. 68.* proinde & nos eam nostro probaturi sumus calculo, asserentes, domino hæc interdicta competere non solum si ipse civili sua possessione (sive id fiat à vasallo domino servitia debita forsan detractante, sive ab alio) turbetur aut spolietur, Sed & si vasallus turbetur seu dejiciatur & agere aut non possit, aut nolit. *Duar. de feud. cap. 19. n. 6.* Atque hæc de materiali judicij feudalis, judice scilicet & actionibus levi brachio attigisse sufficiat: properandum nunc ad judicij formale est.

XXXIV.

Formale autem judicij est ipse processus, qui cùm in plerisque (qualia sunt in jus vocatio seu citatio, libelli oblatio, litis contestatio &c.) cum jure communi congruat, hinc quid in eo instituendo observandum sit, talis plerorũque Dd. veterum juxta ac recentium enata regula: Quod nempe in decisione controversiarum feudalium idem ritus, ordo, & processus observari debeat, qui jure communi in judicijs civilibus usitatus & receptus est, nisi quatenus jure feudorum aliquid singulare & proprium fuerit introductum. *arg. c. unic. 2. F. 1. Andr. de Isernia in cap. 1. §. pen. 2. F. 55. & in cap. unic. 2. F. 14. Wesenbec. de feud. c. 17. n. 10. & alij.*

XXXV.

De vulgaribus processus alij; nos de singularibus quædam quantâ potest brevitate degustaturi referemus ea, *cum Dn. Ludw. in tr. feud. cap. ult.* vel ad præparatoria judicij, vel ad ipsum judicium. In præparatorijs singulare est in vocatione in jus sive citatione, quod trina præcisè requiratur. *c. unic. 2. F. 22. & c. unic. §. 1. 2. F. 24.* In jure communi non Item. *l. 53. §. 1. ff. de re judicat.* Deinde hoc singularia inter numeratur, quod reconventio in Judicio feudali locum nõ habeat, nisi in causa æquè feudali, *Gisebert. in tr. de Reconv. c. 26, Vultej. d. l. 2. c. 3. n. 11.*

n. 11. Sonsbec. de feud. part. 14 n. 38. cum tamen jure communi inquacunque causa regulariter locum habeat reconventio. *Per l. 14 & Auth. seq. C. de sent. & inter loc. omn. judic.*

XXXVI.

Judicium ipsum vel disceptando vel decidendo perficitur. In disceptatione quæ occurrant singularia, paucis videbimus. Singularitatem autem sapit 1. quod non ut in civilibus. *t. t. C. de jurejur. propter calum.* Sic & in feudalibus judicijs præstetur juramentum calumniæ. text. est *c. unic. §. 1. 2. F. 33.* Quod tam respectu vasalli, quàm domini verum esse, patet ex text. allegat. expressimè. Favet insuper dictis, illi quidem quod de vasallo diximus, ipsum nempe juramentum exigere â domino non posse. *text. l. 16. ff. de jurejur. l. 7. §. 3. ff. de obseq. par. & patron. præst.* cum similibus, ubi libertus â domino juramentum calumniæ exigere prohibetur; huic verò quod de domino *d. §. 1. 2. F. 33. ibi: quoq; quisque juris in alium statuit, ipse eodem jure utatur, l. 1. & ib. ff. quod quisque juris &c. itidem text. c. unic. 2. F. 6. vers. dominus quoque.* Neque hîc distinguendum putamus, præstiterit ne vasallus juramentum fidelitatis, an non? *arg. text. d. c. unic. §. 1.* quem indistinctè loqui nemo non videt. Simili modo non distinguimus inter juramentum vetus sive speciale & novum sive generale, idque partim ob rationis in utroque identitatem, partim etiam ob textus nostri generalitatem. *Gotbofr. Antom. disp feud. 15. th. 4 & alij ab ipso allegati.*

XXXVII.

In materia probationis porrò non minima occurrit singularitatis notatio, imò tanta, uti Dd. est traditio, quanta vix una in re alia. I. Est, quod, ut jure civili in plerisque causis etiam in testimonium admittantur fœminæ *l. 20 §. 6. ff. Qui test. fac. poss. l. 18 ff. de testib.* eæ tamen jure hoc feudali regulariter â testimonij dictione removeantur, masculis admissis. *c. unic. 2. F. 32. & ibi F F.* communiter. Dixi regulariter; Fœminas enim illustres, ex quo judicare causasque cognoscere possunt, exceptas volunt Dd. *Scheidew. in epitom. feud. part. 9. cap. 1. n. 20.*

II. Est:

XXXVIII.

II. Est: Quod in judicio feudali ad probandam novam investicuram præcisè requirantur pares curiæ seu cõvasalli ab eodem domino feuda tenentes. *c. unic. 1. F. 4. c. unic. 1. F. 10. 11. 23. 26. in pr. & c. 1. 1. F. 2.* sive instrumentum à duobus vel tribus paribus subscriptum. *c. unic. 2. F. 32.* Cum tamen jure civili admittantur testes etiam extranei; dummodò sint idonei & integræ frontis. *t. t. ff de testib.*

XXXIX.

III. Quod jure feudali quod ad ingratitudinem probandam attinet, quinque testes, ijdemque summæ & integræ opinionis requirantur. *per text. expressum in c. unic. vers.* quod non obtinere censemus *2. F. 57.* Cùm jure civili ad quemcunque actum probandum, licet sit gravissimi præjudicij, sufficiant regulariter duo testes. *l. 12. ff. de testib.*

XL.

IV. Quod in jure feudali actori in probatione succumbente reus non continuò (quemadmodum in jure communi fieri assolet *l. 4. C. de Edend.*) absolvatur, Sed detur ei vel defensio juratoria, quam vel solus præstet, vel quandoque assumtis 12. Sacramentalibus (à Sacramento sive juramento sic dictis) qui jurant cum principali de sua tantum credulitate & conscientia. *c. unic. §. 2. 1. F. 4. & c. unic. in pr. 2. F. 33.* Ubi tamen notandum non indistinctè quoslibet adhiberi posse, sed necesse est, ut sex desumantur è parentibus, id est, cognatis jurantis. *d. c. unic. 2. F. 33. Gothofr. Anton. disp. feud. ult. th. 6. & F. F. communiter.* Vel duellum *c. alienatio §. non est 2. F. 55.*

XLI.

Verum cùm tam juramentum cum XII. Sacramentalibus, ob anceps perjurij periculum, ab aula & foro recesserit. *Zas. de feud. part. 11. n. 36.* quàm duella & ejusmodi alia, ob eam, quam involvunt incertitudinem & superstitionem, dudum valere jussa sint *c. monomachia 2. q. 2. c. 3. X. de Purg. vulg. Ferdinand.*

nand. Vasq. 1. illustr. controvers. c. 11. n. 35. & seqq. non est, cur fusiùs hisce rebus atq; operosiùs inhæreamus, si modò id priùs monuerimus, esse etiamnum, (ut pote in Dania, Holsatia, & Suecia) ubi mos jurandi adhibitis XII. conjuratoribus, non quidem in feudis, sed in alijs causis etiam criminalibus duret atque frequentetur. *Teste Petr. Heig part. 1. quæst ult. n. ult.*

XLII.

Actus tandem decisionis est sententia. De qua in genere tenendum, quod tenori investituræ, consuetudinibus cujusque loci specialibus, & juri feudali, vel in ejus defectum, civili, inprimis verò probationibus secundum hæc institutis, debeat esse consentanea. *c. unic. 2. F. 18. c. unic. in fin. 2. F. 1. & l. 12. ff. de LL.* Sententia autem ita lata consequitur suas vires & executioni mandatur, nisi justo appellationis remedio fuerit suspensa.

XLIII.

Appellatio autem ijsdem ferè modis, quibus jure communi, interponitur & justificatur. *Testante Mynsing. cent. 5. observ. 5. Gail. 2. observ. 25. n. 3. & alij.* Non nulla tamen in feudalibus specialia vel formam appellationis interponendæ, vel introducendæ vel justificandæ concernentia occurrere tradunt Dd. In forma quidem introducendæ appellationis, non omnis quidem, sed ejus, quæ ad Imperatorem fit, hoc speciale est in jure feudali, quod spacio sex septimanarum fieri debeat. *c. unic. §. fin. & ibi Jacob de Belvis Alvarot. Schenck Baro. 1. F. 22.* In forma verò justificandæ appellationis hoc, quod in controversia magni feudi judex à quo debeat comitari appellantem ad imperatorem seu alium judicem ad quem appellatum est. *d. §. fin. ubi modò allegat. Dd. Schrad. part. 9. de feud. c. 7. n. 110.*

XLIV.

Denique circa executionem non est, quod tangamus singulare, nisi id, quod ea invito domino in ipsum feudum fieri nequeat; Sed in fructus tantum. Quo de vide *Hartm.*

Pistor part. 1. quæst. 15. Cui etiam consentire videtur. M. G. D. *tit* von der Hülff in die Lehengüter 40. *in pr. ibi.* weiter nicht/ denn allein auff die Nutzung vollstrecket werden/ *Vers. seq. ibi.* weiter als in die Früchte zu verhelffen nicht gedrungen. Atque hæc de singularibus processus adnectere placuit, quia horum necessaria nobis visa est & utilitatis plena cognitio. Plura autem imprænsentiarum serie continuata, & alia ex alijs nexa non proferimus, cùm ne longitudine simus fastidio, tum etiam, quòd multa extent F. F. scripta, unde hæc & ejus genus alia hauriri quàm ubertimè possunt.

COROLLARIA 4. EX JURE CANONICO.

I.

ABbatem ob pecuniam mutuò datam monasterio quosdam monachorum dare obsides posse, manifestius est *ex c. ex rescripto 9. X. de jurejur.* quàm ut propter *l. qui filios 6. c. Quæ res pignor obligar. poss.* in contrariam rapiamur sententiam.

2.

Utrum autem ejusmodi monachi obsides solvere teneantur, æquè manifestum non est, atque prius, *ob vers. super hæc in d. c. 9* Negativa tamen ut literæ *d. c. 9.* convenientior, ita verior videtur.

3.

Quamvis jus patronatus, ut pote spirituali annexum, vendi specialiter nequeat. *c. de jure 16. X. de jure Patronat.* Id tamen simul alienatum censeri, si curia, ut pagus, vel villa, vendatur, non est cur dubitemus. *Propter c. ex literis 7. X. eod. l. quadam 62 ff. de A. R. D.*

Con-

Controversia est Canonistas inter atque Legistas non tantùm contentione, sed etiam opinionum dissensione maxima, an manasterio vulgariter substitutus sit præferendus, si monachus heres institutus hereditatem repudiarit? Canonistæ negant varijs adducti rationibus, quas non est, ut producamus singulas. Illam tantum dicimus nobis non obstaturam, quo minus affirmativæ subscribamus, quæ desumitur *ex cap. si religiosus 27. X. de Elect, in 6.* Ubi monachus neque velle, neque nolle habere, & ex sui superioris imperio pendere dicitur. Procedere enim hoc de ijs rebus videtur, quæ ad professionem monasticam, pertinent. Quin autem retineat monachus voluntatem, quæ meri facti est, dubitari non poterit. Hinc jocosè, & ad nostrum hoc institutum appositissimè *Duaren. ad tit. de condict. indeb. cap 6.* Nos experimur monachos velle & nolle; velle quidem, ut cum est potandum & edendum: nolle verò, ut cum est jejunandum. Unde dicuntur facilè nolentes & volentes. *Amplissimus, atque consultissimus Dn. Præses in tr. de substitutionib. nuper publicè prælecto, Part. 2. cap. 4.*

Præstantissimo Dno. Respondenti, Adfini & Commensali meo plur. dilecto.

LAudibus, ô Themidis Cultor, macteris ut amplis,
dignus es; Ex adytis Juris prægnantia rerum
Pondera qvî promis, radios spargisq; coruscos
Ingenii graphiceq; premis vestigia Fratris.
Namq; theses iterum in campo deponis aprico,
Juris Feudalis, Divæ sacrisq; Themistæ

armis

armis accinctus, properas tentare duellum,
ex qvo perpetuos deportes Victor Honores.
Perge velut pergis, Themidi insudare subinde:
Sic tua promeritâ decorentur tempora Mitrâ:
Sic sane indubium Patriæ decus ipse manebis:
Sic tua per multas ibunt præconia laudes.

gratulabundus scribebam,

ORTHOLPHUS O. F. FOMANNUS
U. J. D. & P. P.

QUi serit, ille metet, Themidos Clarissime cultor,
Et sua pro meritis præmia quemq; manent.
Quare non dubito, largè quia conseris agros
Feudi, quin veniat Messis opima tibi.

Politissimæ & Altioris Musæ
Amasio Dn. Avemanno, Conterraneo, Collegæ & Amico meo Pyladeo.

Singularis affectus contestandi
gratiâ scripsi

JUSTINUS SCHELHASIUS
Isennacensis.

DEO SIT LAUS ET GLORIA
in sempiterna secula.

